DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS MEDENDIS.

1184 b 8
13

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS MEDENDIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES FAWSSETT,

ANGLUS;

SOCIET. REG. MED. EDIN.

SOC. EXTRAORD.

Ad diem 25. Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCC XCVIII.

43.
10. 10.
250.

ORNATISSIMO VIRO,

JOSEPHO BANKS,

BARONETTO,

ORDINIS PERILLUSTRIS BALNEI

EQUITI,

REGI A SECRETIORIBUS CONSILIIS,

REGIÆ SOCIETATIS LONDINENSIS

PRÆSIDI,

MUSEI BRITANNICI CURATORI

ET

VALETUDINARII PUBLICI HORNCASTRENSIS

PRÆFECTO;

EXIMIO QUOQUE VIRO

LUDOVICO DYMOKE, de Scrivelsby,

JURE HÆREDITARIO ANGLIÆ PROPUGNATORI;

AYSCOUGH BOUCHERETT, Senatori,

THOMÆ CHAPLIN,

THOMÆ COLTMAN,

GULIELMO ELMHIRST,

CAROLO BURRELL MASSINGBERD,

HENRICO SHORT,

ARMIGERIS,

EJUSDEM VALETUDINARII

VICE PRÆSIDIBUS;

CÆTERISQUE EJUS MODERATORIBUS,

HASCE

STUDIORUM IN RE MEDICA

PRIMITIAS,

SUMMA OBSERVANTIA

CONSECRAT

AUCTOR.

Ea videtur esse naturæ benigna fertilitas, ut singulas terræ partes iis præprimis rebus exornet, quæ ad tuendam incolarum valetudinem atque vitam maximè sint necessariæ, et ut contra domesticos morbos domestica etiam præbeat remedia.

SCHREGERUS.

DISSERTATIO MEDICA,

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS MEDENDIS.

QUONIAM Dissertationis Inauguralis limites usitati non sinant, ut de Historiâ, Causis, et Curatione generum diversorum ordine Febrium intermittentium includsorum, plenè agerem; ad methodum medendi solummodo, cum observationibus quibusdam de remediis præcipuis, quæ contra hos morbos laudata sunt, contemplationem meam coercebo. Morbum credo nullum esse, contra quem remedia plura tentata sunt, ac meâ quidem sententiâ, paucos quorum sanationi paria, tot tan-

taque nobis gloriari licet. Interdum verò intermittentes febres diutiſſimè progredi, noſtris conatibus omnibus obſtantes, non ignoro, talis autem pertinacia, vel ægrorum neglectui, quòd principiis non obſtiterunt, vel medicorum curationi parùm valenti, hac regione ſaltem, ferè ſemper tribuenda eſt. Ægrotorum ventriculum, medicaminum uſitatorum quantitatem ad hos morbos amovendos neceſſariam, nonnunquam ægrè ferre, verum eſt; et ipſi plerumque medicamenta faſtidiunt; ſi verò, ut a cel. FORDYCE* probè dicitur, medici loco his incommodis aſſentiendi, atque etiam ea non rarò ſuggerendi, quàm neceſſaria eſſet perſeverantia conſtans rationibus confirmarent, ægri plerumque parerent. Ubi revera nauſeam cient, variis adjectis, vel quodam ad ventriculum compeſcendum præmiſſo, citò plerumquè ad ea confugere licebit; ſin minùs, alia remedia nobis ſunt, quæ etſi primò non eligenda, tamen ſatis valent. His ita præmiſſis, nunc ad enumerationem ſingulorum ſpecialem pergam.

Nihil opus erit, ut, de curatione diverſorum generum intermittentium, fermè eandem ſe habente,

* FORDYCE's Second Diſſertation on Fever, p. 122.

habente, qualiſcunque earum ſit typus, ſeparatim agam. Imprimis ergo curationem generatim conſpiciam, atque poſtea remedia diverſa ſigillatim perpendam. Generalis intermittentium curatio in capita duo rectiſſimè dividitur, nempe, in id quod per acceſſionem opportunum ſit, atque in rationem quàm per deceſſionem proſequi decet. Per acceſſionem, ſigna quàm maximè levia ut reddantur ſedulò agendum eſt, atque ei quàm citiſſimè finis imponatur.

Ubi ſigna horrorem inſtantem prænunciantia nunc primùm apparent, ſcilicet, languor, debilitas, oſcitatio, pandiculatio, ventriculi affectio * in nauſeam ac ſæpe in vomitum increſcens, ſi medicus ægrum de his conquerentem inveniet, neque adſunt quæ vetant, hoc morbi ſtatu, Emeticum, pluſquam aliud remedium, auxilii præbebit. Stadium horroris plerumque contrahit, quod ut graviorem et acerbiorem partem paroxyſmi æger conqueritur, calorem inducit, ac brevi ſudorem movet, qui pòſt paulò, infelicis ægritudini finem imponit, atque

* Jackson quidem hoc ſignum ante omnia ſentiri aſſeverat.

Jackson on the Fevers of Jamaica, p. 138.

atque decedens ſæpe eum prorſùs ſanatum relinquit. Plurima fuerunt exempla, quibus, morbus ab emetico ſic adhibito omnino profligatus eſt, neque iterum rediit. Quamvis autem hoc remedii præſtantiam probat, non ſemper ſperandum eſt, ſed certo tempore interpoſito, prout erit typus febris, eadem phænomena denuo metuenda ſunt.

Finitâ vomitorii actione, poſtquam horror calori ceſſit, Opiatum deinde plurimùm prodeſſe ſolet. Quando vomitorio ſuccedit hoc, certiùs ad extrema ſuperficiei corporis vaſa vires ejus diriguntur.

Si vero ante paroxyſmus ultrà proceſſit, quàm accedit medicus, ſi ſtadium horroris perfectè formatur, commodiùs erit, donec ſigna acceſſionis appareant, vomitorium differre. Non rarò autem evenit, ut, quando graviſſimus eſt horror, multùm ſtuporis vel comatis adſit, quo tempore vomitorium certè minimè congrueret; diverſa verò remedia, qualia ſunt Emplaſtra Epiſpaſtica inter ſcapulas, Fotus artuum inferiorum, &c. atque calore jam apparente opiatum, adhibenda ſunt.

Aliud remedium nuper in medium protulit chirurgus claſſicus Dom. KELLIE, quod primâ facie

facie extraordinarium haud dubie habebitur; nempe torculari *Tourniquet* dicto, artum ſuperiorem et inferiorem vincire. Vel durante horrore, vel ante acceſſionem ejus apponendum eſt, atque ab hoc, horror, paucis momentis temporis, plerumque ex toto fugatur, calor inducitur, qui inde ſemper levior eſt, atque illico in ſudorem deſinit; interdum etiam paroxyſmum omnino arcet.

Stadium ſecundum vel caloris remedia haud multa poſtulat; Anodyna hic maximè valere ſolent. Ubi ſunt ægri vigore juventæ ac robuſti, ſi ſigna inflammationis increbreſcunt, interdum ſanguinis detractioni opus erit, præſertim ſi ſanguinis plus juſto ad certas partes, veluti ad caput et pulmones deferri videtur, et majore quàm decet impetu. Hæc igitur quandocunque neceſſaria habetur, cætera omnia remedia antecedere debet; ſtadiumque caloris tempus eſt præ aliis ejus ad peractionem imprimis eligendum. Potibus diluentibus, per hoc ſtadium, compeſcere ſitem, atque lecto ſtragulis levibus tantùm inſtructo ſe continere ægroto convenit. Ut per ſudorem omnia ſigna graviora plerumque evaneſcunt, ſic medicamentis non opus eſt.

Cuncta

Cuncta tamen, quæ adhuc præcepta fuerunt, imperfecta habenda ſunt, vel ut viam munientia ſolùm ad remedia quæ morbo penitùs finem imponant, et per intermiſſionem adhibenda ſunt.

Remedia per intermiſſionem uſurpanda, ſunt, Amara, Aſtringentia, atque hæc conjuncta, ab effectibus Tonica ſæpe dicta; ac metallica quædam dotes quorum minùs etiamnum intelliguntur.

Poſt hanc, remediorum ad hunc morbum accommodatorum, recenſionem generalem, nunc ſingulorum ad contemplationem pleniorem tranſeundum eſt; ſimulque ea quæ adminiſtrationi eorum obſtant, notanda ſunt; et primum de

VOMITORIIS.

Horum uſus in intermittentibus, primis ſæculis obſervatus eſt, atque a parente medicinæ Hippocrate meritò hæc remedia laudata ſunt; ita quoque a Celso, Galeno, Ætio, Paulo, Alexandro Tralliano, atque ab omni fere poſtea de hoc morbo ſcriptore. Vomitus ſpontaneus qui frequenter, vel nauſea

ſea quæ fere ſemper horrorem comitatur, ad uſum eorum, ut veriſimillimum eſt, duxit; præter commodum verò, a purgando ventriculo de felle mucoque viſcido, quibus eo tempore plerumque oneratur, deductum, et quæ, donec evacuentur, remediorum tonicorum per intermiſſionem exhibendorum effectibus præveniunt, maximam partem potentiæ ſuæ concuſſui ab iis corpori dato, tribuere licet. Vomitoriorum, inter initia continuarum febrium, beneficia, ſatis ſuperque ſtabilitum eſſe concipio, atque a poſteriori actione eorum, maximâ ex parte, dimanare exiſtimatur. Uſus eorum in intermittentibus æqualiter patet, quippe cùm ſolâ illorum adminiſtratione in ipſâ acceſſione, hæc frequenter intercepta, vel breviſſima reddita fuerit, nunquam reditura. Tempus quo adhibita hos effectus edere plurimùm valent, ſub appropinquationem paroxyſmi eſt, ita ut actio eorum circiter horroris ingreſſum eveniat. In aliis ſtadiis paroxyſmi, atque in intermiſſionibus, nec ſine fructu præſcripta fuerunt; hæc tamen ratio cum priore haud æquè generaliter proficit. Nec tamen reperitur iterata vomitoria ullum commodi habere, neque verò periculo omninò carere.

carere. Ventriculum ex toto de morbosâ materiâ expurgare posse, non expectandum est; hæc enim, in ventriculis intermittente laborantium, reperietur, etsi vomitus quotidie vel sæpius in die repetitus fuerit *. Solet insuper eò vomitus perpetuus fieri, et intermissiones inde minùs perfectæ.

Medicamenta hâc ratione fere adhibita, sunt præparata ex *antimonio*, et *ipecacuanha* radix. Ex illis antimonium tartarisatum, ut effectibus certissimum, sic frequentissimè datum est. De hujus verò remedii actione violentâ, nonnulli scriptores, præsertim JACKSON, conquesti sunt; idem auctor tamen, corticem peruvianum citius certiusque respondere, post vomitoriorum antimonialium usus, confitetur. Ubi infirmissimus est æger, ipecacuanha, ut multò mitior, atque vix, quàm nausea et vomitus naturalis, magis affligens, profectò anteferenda est. Sin nihil in statu ægrotantis est, quod usus ejus vetare debeat, antimonium tartarisatum cautè adhibitum, utpote crisis signa post vomitum ad gignenda † efficacius, plurimùm prodesse videtur. Quin et animadvertit

* GREGORY Conspectus Medicinæ Theoreticæ, § 1410.

† *Vide* FORDYCE's Second Dissertation on Fever, p. 110.

vertit cel. SENAC, actionem ejus, in tenerrima ætate, quàm magis provectâ, mitiorem esse *. Quoniam solet in intestina sola nonnunquam effectus suos edere, atque inde minùs auxilii afferre, duo commista, ut a cel. FORDYCE † laudatum, ratione *antimonii tartarisati* grani unius, *ipecacuanhæ* a granis quinque ad decem, quàm alterutrum sigillatim, forsan plus commodi haberent. Ipecacuanha certissimum remedium est ad vomitum producendum, qui in febribus, a tunicis verisimile stomachi adeò viscido muco tectis, ut medicamentum eas contingere non possit, atque partim fortasse a statu *sensorii* inter horrorem, difficulter efficitur.

Conditio quæ vomitoriorum usum intutum, vel intempestivum reddere potest, est ubi nimia sanguinis abundantia, impetusque ejus ingens, puta caput versus, adest. BURSERIUS exemplum narrat, quo, hujusmodi medicamentum tali corporis statu temerè adhibitum,

* SENAC de reconditâ Febrium Intermittentium, tùm Remittentium naturâ, p. 152.

† FORDYCE, Libr. cit. p. 111.

apoplexiam movit*, quæ miſerum morti dedit, et ſectio cadaveris ſanguinem in cerebro effuſum monſtravit.

CATHARTICA.

Quantum ad hæc attinet, ſcriptores practicos multùm inter ſe diſſentire invenio. Nulli quidem inter eos, talem exinanitionem largam auxilio eſſe poſſe putare videntur; multi quoque illam vehementer improbant. Utiliſſima, loco vomitorii data, videntur, ſic ut inſtante paroxyſmo, ſuo fungantur officio; prodeſſe quoque, ſicut illud, plus a concuſſu corpori ab iis dato, quàm ab ulla exinanitione effecta, exiſtimatur.

Me certiorem fecit medicus celeberrimus Doctor Willan, ſe tantum commodi ex uſu eorum in febribus continuis item expertum eſſe. Hac ratione quoque ea adhibere ſolebat Doctor Lysons †, atque tutiorem, efficaciorem,

* Burserius, Inſtitutionum Medicinæ Practicæ Tom. 1. p. 188.

† Lysons's Eſſay on Fevers, &c. p. 32.

rem, jucundioremque tractatione per vomitoria existimavit. In intermittentibus *Bengalæ*, cathartica a Doctore WADE liberaliter adhibita fuerunt, qui miris laudibus ea prædicat. JACKSON * quoque experimenta fecit, ut certiùs effectus statueret, eorumque usu, accessiones, leviores, constantiores et magis discretas, reddi putavit. Ad febres tamen regionum calidarum, quàm frigidiorum, magis accommodata esse videntur. Plurimi nostrates medici vomitoria iis anteferunt, catharticorumque iteratio plerisque ab omnibus improbatur. BURSERIUS, illa nihil, in his morbis, ampliùs commodi habere, quàm, quòd, sicuti sanguinis missio, diathesin phlogisticam amovent; alioqui verò morbum pertinaciorem tantùm deterioremque reddere credit. Exempla insuper ex MATTHÆO GEORGI citat, tertianæ autumnalis tali curatione lethalis redditæ †. SYDENHAM quoque cathartica magnopere timebat, atque sine controversia est, ea morbum recidivum, postquàm perculsus fuit,

* JACKSON on the Fevers of Jamaica, p. 314.

† BURSERIUS, tom. 1. p. 186.

fuit, effeciſſe. Quinimo, ut idem auctor affirmat, *enema etiam e lacte ſaccharato* in morbi diſcrimen certiſſimè, fortè in morbum ipſum, denuò ægrum conjiciet *.

OPIUM.

Hoc in periodis diverſis intermittentium diu adhibitum eſt, atque etiam a TRALLIANO uſurpatum: adminiſtratio verò ejus commodiſſima, donec intra triginta annos, ubi a Doctore LIND fortuitò detecta eſt, minimè enoteſcebat. ALEXANDER TRALLIANUS cum cicutâ et hyoſcyamo conjunctum dedit, ita ut ſomnum, paulò ante quàm accederet acceſſio, moveret. Alii in doſibus guttarum quinque Tincturæ, alterâ quâque horâ per intermiſſiones, et cum proſpero eventu, exhibuerunt †. Alii vero opii puri grana tria vel quatuor, horis tribus ante expectatum paroxyſmum dederunt;

* SYDENHAM Opera, p. 306, 307. edit. Lugd. Bat. 1726.

† REIMAR Diſs. Inaug. de Opio, L. B. 1784. Schlegel Theſaurus Mat. Med.

derunt; pro doſi ſecunda grana quinque vel ſex, atque ita gradatim quantitatem augendo uſque ad grana duodecim. Tali ratione tertianas et quartanas, quæ et cinchonæ et arſenici portionibus modicis reſtiterunt, ſæpe fuiſſe profligatas fertur*. Tempus autem hujus ad adminiſtrationem comprobatiſſimum, ſecundum Doctorem LIND auctoresque plurimos, eſt, per ſummum febris calorem, cujus omne indicium fere ſemper minuit, ſudorem elicit, atque ſomnum citum, altumque affert. Poſt quartam partem vel dimidium horæ, ait LIND, ſæpe cuncta ſymptomata levata aſpicimus, et nonnunquam calorem etiam quaſi obliterare videtur, ac ſudorem fere ſtatim inducere. Etſi nihil levaminis affert, nequaquam febrem intendit, ne delirium quidem, quod igitur hujus adminiſtrationi obſtet nullo pacto neceſſe eſt. Hanc curationem adeo proſperam invenit Doctor HOULSTON†, ut rarò ad cinchonam confugere opus ſibi fuiſſe dicat; etſi interdum hujus aliquid poſt febrem diſcuſſam,

* Annals of Medicine, Vol. 2. p. 408.

† HOULSTON on Poiſons, &c. p. 74, 75.

diſcuſſam, ad corporis habitum confirmandum dedit. A GREGORIIS, cùm patre * tùm filio, fauſtè in Noſocomio adhibitum eſt, neque dubitat hic, quin cinchonæ quantitas dimidia poſt hujus uſum effectus optatos præſtiterit. Confitetur vero Doctor D. MONRO, etiamſi paroxyſmorum violentiam mitigare certè valeat, laudes tantas mereri non reperiſſe. BURSERIUS † quoque neque tutum hoc eſſe remedium credit, ac nata inde quoque lethalia, et vix ſuperanda ſymptomata ſe noviſſe affirmat. Monet inſuper MORTON paroxyſmum legitimum haud rarò in apoplexiam, vel alium aliquem peracutum morbum ab eo converti.

Si nimia ſanguinis abundantia adſit, cum impetu caput verſus, hoc, ut omne aliud remedium ſanguinis miſſioni cedere oportet; ſin minus, id ſatis tutum et utile eſſe puto.

TORCULAR.

* BRANDRETH Diſſ. Inaug. & BUCHANAN. Diſſ. Inaug. de Feb. Interm. Medendo.

† BURSERIUS, Inſtitutiones Medicinæ Practicæ, tom. 1. p. 194.

TORCULAR.

Efficaciæ hujus, membris admoti, acceſſiones febrium intermittentium cohibendo, et occurrendo, exempla pauca, in Commentariis Medicis Edinenſ. ann. 1794, primò vulgata ſunt. Uſu longiori beneficia hujus auctor exinde comperit, exitus cujus, in tentamine de hac re, anno proximo in vulgus indicavit. A rectore navis Belgico accepit, cui olim ab anicula quadam, ita ſanata erat quartana pertinax; periſcelide unâ brachium dextrum ſubligavit, alterâ femur dextrum, ſatis arctè ut ſanguinis circuitum per membra illa prohiberet. Dom. Kellie etiamſi vix narrationi credens, periculo tamen dignum eſſe putavit, et cito ſe ei obtulit occaſio. Nauta horrore intremiſcens petiit auxilium; Torcular igitur unum femori ſiniſtro, loco quo in amputatione ſupra genu fere imponitur, admovit, atque arteriæ ſubclaviæ ex adverſo, ſanguinis motum pariter prohibuit. Lætus reperit, duobus minutis temporis, omne horroris ſignum omnino ceſſaviſſe, calorem lenem motum eſſe, ſicut

æger

æger prorſùs levatum ſe ſenſerit, dolorque circa lumbos vehemens, de quo anteà maximè conqueſtus erat, deceſſit. Die quo acceſſionem tertiam expectabat, affixa ſunt torcularia ante acceſſionis horam uſitatam, atque ei omnino occurrerunt. At obſervandum tamen eſt, corticem Peruvianum per intermiſſiones ab ægro ſumptum. In aliis exemplis a Dom. KELLIE ac ab amicis quibuſdam, quibus hæc tentanda ſuaſerat, pariter prodeſſe reperta ſunt. Solet effectus ſimiles præſtare iliacarum ambarum compreſſio. Ad ſextam vel quartam horæ partem, at non amplius, licet compreſſionem perducere. Ubi erant capitis aſperi dolores, illi pariter levati ſunt. Haud tamen conſtanter Domino KELLIE reſpondit, atque a Profeſſore DUNCAN, in hoc Noſocomio ſine fructu tentatum fuit. A ſimplicitate hujus remedii, atque commodis quæ uſum ejus fere comitata ſunt, tentamine ampliore dignum eſſe cenſeo. Ubi verò adſit diatheſis phlogiſtica cum ſanguinis derivatione ad caput vel pulmones, anceps id putarem, quamvis auctor diſſertationis ſupradictæ de iſta re nihil timeat.

EPISPASTICA.

EPISPASTICA.

Hæc intermittentibus hujus regionis vulgaribus, etſi plerumque non ſint neceſſaria, pro re nata tamen utiliter imponenda ſunt. DONALD MONRO * ſe intermittentem emplaſtro epiſpaſtico ſolo ſanari vidiſſe teſtatur; potiſſimùm verò utilia ſunt contra certos affectus hunc morbum interdum comitantes, quales ſunt, capitis, coma, delirium, dolores acerbi †, ubi cervici vel inter ſcapulas admoveantur. JACKSON ‡ ea æquè prodeſſe narrat irritationem generalem amovendo, ac præ cæteris omnibus remediis, res, quæcunque ſint, amandando, quæ ne cortex Peruvianus rectè agat, obſtiterint. Veſicantium et Rubefacientium maximus verò uſus in his morbis, ſub formâ

* MONRO on the diſeaſes of Military Hoſpitals, p. 180. 1761.

† SENAC de recondita Febrium Intermittentium tùm Remittentium natura, p. 253.—HOFFMANNI Opera, tom. 2. p. 17.

‡ *Vide* JACKSON on the Fevers of Jamaica, p. 222. 226.

eſt *Epicarpiorum*, vel epiſpaſticorum ad carpos; atque auctorum, et antiquorum et recentiorum magnus numerus, de efficacia horum laudanda, conſentiunt. His MORTON uſus eſt, et VAN SWIETEN * narrat, quòd per hæc clariſſimo BOYLE quotidiana violenta expulſa eſt, quam diu remedia uſitata fruſtrà aggreſſa fuerant. LIND † quoque viri memorat exemplum, qui acceſſioni intermittentis pertinacis ſæpe occurrit, ovorum albumen, cum ſale contritum, carpis admovendo, præſertim ſi hoc veſiculas effecit. Allium contuſum eoſdem effectus præſtare dicit ille, atque D. MONRO ‡; convulſiones verò delicatis gignere ſolet. Similia, per annos triginta, De HAEN cum ſummo fructu fertur adhibuiſſe. Recentiorem verò ardentioremque horum remediorum commendationem, apud Doctorem RUSH habemus,

* Commentaria in H. BOERHAAVE Aphoriſmos, tom. 2. p. 571.

† LIND on Diſeaſes of Europeans in hot climates, p. 301.

‡ MONRO on the Diſeaſes of Military Hoſpitals, p. 180.

mus, qui affirmat, in omnibus intermittentibus autumnalibus ſive quotidianis, tertianis, ſive quartanis, ubi cortex Peruvianus poſt tres quatuorve dies non bene reſponderat, rarò illum poſt epiſpaſtica ad carpos quàm adhibita erant fallere repertum eſſe. Dicit, porrò, ſe teſtimonia horum utilitatis, a pluribus medicis qui ea adhibuerunt, adjungere, in animo habuiſſe, adeò multos verò tales aſſertores eſſe, ut librum ſuum ultra metas quas ei ponere volebat, amplificaturi eſſent *. FORDYCE ea ut nugatoria rejicit, ſe verò unquam tentaviſſe non dicit.

Stimulantia ad alias partes utì ad ſpinam, frictio cujus paribus portionibus Tincturæ Opii, et Linimenti Saponis morbum ab infantibus fertur amoviſſe †.

SANGUINIS

* RUSH's Medical Inquiries and Obſervations, vol. I.

† MACBRIDE, Theory and Practice of Phyſic, p. 350.—LIND on Diſeaſes of Europeans in hot climates.

SANGUINIS DETRACTIO

In intermittentibus hujus regionis perrarò poſtulatur, plerumque verò admodùm aliena foret. Nonnunquam autem exempla eveniunt, quibus opus eſt. In firma corporis et vegeta conſtitutione, ubi ſigna inflammationis increbreſcunt, multòque magis ſi pectoris dolores atque dyſpnœa, &c. adſunt; ubi quoque inter initia febres continuas ſimulant; in his remedia uſitata ſolitos effectus non edere, donec peracta fuerit evacuatio, ſed etiam nocere, ſolent. In quibuſdam regionibus, velut in America, frequentiùs, ſecundum Doctorem Rush *, hoc remedium neceſſarium eſſe videtur, qui in exemplis ubi cinchona atque epiſpaſtica incaſſùm adhibita fuerunt, atque ubi in hibernas menſes morbus protractus erat, unâ vel duabus ſanguinis detractionibus ægrum plerumque ſanavit. Hujus remedii utilitatis teſtimonium idem ac pro veſicatoriis offert. Quando indicatur hæc exinanitio eſſe neceſſaria,

* Rush, Medical Obſervations and Inquiries, vol. I.

neceſſaria, ſemper inefficax cinchona eſt, atque idem auctor, ſe poſt libras hujus medicamenti fruſtrà datas, morbum repentè ſanguinis unciarum decem vel duodecim miſſione curatum vidiſſe teſtatur. In intermittentibus caſtrorum a JOANNE PRINGLE, Equite, ſanguinis detractio multùm præſcripta eſt; ejus autem ægrotantium habitus robuſtus, vitæque ratio effecit, ut inflammationibus magis obnoxii eſſent, atque inde ut exinanitiones tales optimè ſuſtinerent. Utì vero bene animadvertit SYLVIUS le BOE, non tantùm ad intermittentes ipſas remedium hoc eſſe, quantùm ad certos affectus qui per hos morbos ſubinde obveniunt. Si quando neceſſarium habebitur, ſtadium caloris ejus adminiſtrationi tempus optimum eſt; atque hauſtus ſalinos, diaphoretica lenia, cum cæteris regiminis antiphlogiſtici partibus, rectiſſimè adjungere licet.

Curationis verò pars maximi momenti, adhuc conſideranda eſt, quâ nimirum acceſſionum recurſui occurritur; quod a remediis jam memoratis, etſi ſubinde, plerumque tamen non licet expectare. Medicamenta hunc

in

in finem per intermiſſiones adhibenda ſunt. Ut antea dictum eſt, præcipuè ex Amaris, Aſtringentibus, his duobus commiſtis, Stimulantibus, ex aliis quoque remediis e regno minerali, quorum facultates etiam minùs intelliguntur, conſtant.

AMARA

Prima omnium adhibuiſſe videntur. Galen Abſinthio uſus eſt, ac medicamenta diverſa ex hac claſſe, ante cinchonam uſurpatam, præcipua fuiſſe videntur. Nonnulla etiam, ut Chamæmelum, propter efficaciam ſuam ſibi famam haud aſpernandam confecerunt. Alia amara commendata, ſunt, Gentiana, Chamædrys, Centaurium Minus, Menyanthes Trifoliata, Faba Sancti Ignatii, Quaſſia, Lignum Colubrinum, Carduus Benedictus, Taraxacum, Fumaria, Marrubium Album, Leonurus Cardiaca, Ruta; Flores Tanaceti, Achilleæ Agerati, Arnicæ Montanæ; Cortex Caſcarillæ, Aurantiorum, et Limonum; Calamus Aromaticus, Nux Vomica.

Labor

Labor eſſet inutilis hæc omnia ſeparatim conſiderare. Unumquodque intermittentibus laborantes interdum ſanaviſſe non dubito, omnia vero in quamplurimis exemplis quoque fefelliſſe item credo. Fordyce quidem, undequinquagies ex quinquaginta non reſpondiſſe dicit; plerorumque ſcriptorum teſtimonium plus iis favet. Omnia perquàm nauſeoſa ſunt, unde difficiliter in ventriculo retinentur, plerorumque modus largus requiritur. Unius verò, Fabæ nempe Sancti Ignatii, moli objicere non licet; hæc tamen præ cæteris non eſt quâ nitamur. Lind ab his quatuor ſanavit, duplo verò pluribus non omnino profecerunt. Ad purgandum etiam omnia modo poſtulato aſſumpta multùm pollent, et ſic acceſſionum recurſui parùm occurrunt. Ne hoc accidat, opiato addito præcaveri poteſt; ſed ne tunc quidem iis confidere licet. Flores chamæmeli latiſſimè tentati ſunt, atque multam ſibi famam acquiſiverunt, adeo ut a quibuſdam quondam cum cinchonâ compararentur. Pitcairn dixit, medicos fore felices, ſi in omnibus morbis tam certa et efficacia haberent medicamenta, quàm chamomillam et

corticem

corticem Peruvianum in febribus intermittentibus. Sed idem habent vitium ac cætera amara, ſcilicet, ad purgandum proclives ſunt, adeo ut nunc fere ex toto deſueſcant, atque aliis certioribus remediis ceſſent.

ASTRINGENTIA.

Ex hoc ordine Materiæ Medicæ, plurima remedia, et foſſilia, et vegetabilia, contra intermittentes frequenter ac feliciter adhibita ſunt. Priorum ſunt, Alumen, Vitriolum album et cæruleum, Flores Zinci, et quædam e Ferro præparata. Vegetabilia in his morbis data, Plantago ſunt, Pentaphyllum, Cortex Winteranus, Cortex radicis Pruni Sylveſtris, Quercûs Roboris; Glandes; Gallæ; Radix Biſtortæ, Tormentillæ, atque Gei Urbani.

Aluminis uſus notatur a SENAC, affirmatque Doctor LIND*, ubi fruſtrà fuit cinchona remedium nullum præſentius quàm alumen nuce moſchatâ conjunctum, invenire. Hoc tamen

* On Diſeaſes of Europeans in hot climates, p. 305.

tamen præſtantiam præ cinchona nullam arguit, ferè omne enim remedium quod contra hos morbos adhibitum eſt, poſt plerorumque cæterorum fruſtrationem ſubinde feliciter reſpondit. Ab HARTMAN, GRUNLINGIO, ETTMULLER, atque aliis itidem celebratur *. Tempus ad adhibendum, circiter horam unam eſt ante acceſſionis ingreſſum. Doſis plena debet eſſe, ad ſcrupulum ſcilicet unum.

Vitriolum Album a Doctoribus BLANE et THELFORD, quaſdam febres pertinaces amovendo, contra quas cinchona atque alia remedia inefficacia fuerant, proſpero eventu adhibitum eſt. Grana quinque omni quadrihorio per intermiſſiones dederunt. Contra intermittentes Inſulæ Corſicæ cum inſigni beneficio ita quoque adhibuit Dom. MACLEISH †. Hoc æquè ac Zinci Flores optimè reſpondere videtur, ubi acceſſiones a conſuetudine ſola redire apparent.

* TRNKA Hiſtoria Febrium Intermittentium, p. 508.

† DUNCAN's Annals of Medicine, vol. 2. p. 408.

Vitriolum Cæruleum, in dosibus grani quadrantis vel dimidii, in pertinacibus intermittentibus efficaciſſimum eſſe fertur *. Lind verò nauſeam ferè perpetuam et vomitum, quamvis opio adjunctum, id efficere expertus eſt, adeò ut pauci in uſu ejus perſtare poſſint †.

Flores Zinci ab Hendy Barbadensi, atque Thelford, præſcripti fuerunt; quamvis verò non ſine efficaciâ ſunt, ventriculum tamen multò gravant ‡.

Etſi non negandum, ex omnibus his medicamentis utilitatem deductam fuiſſe, non conſtanter tamen profecerunt, atque a quibuſdam etiam periculoſa habentur. Donec igitur tutiora inefficacia reperta fuerint, ea poſtponere præſtat. Burserius dicit, "a ſtypticis hu-"juſmodi remediis, conſultius putaverim om-"nino abſtinere. Nec tuta nec innocua eſſe "ſuadet ratio ‖."

Vegetabilia

* Darwin's Zoonomia, vol. 2. p. 725.

† Lind on hot climates, p. 305.

‡ Stolte, Diſſ. Inaug. de Vitr. Alb. Schlegel. Theſaurus.

‖ Burserii Inſtitutiones Medicinæ Practicæ, Tom. 1. p. 193.

Vegetabilia non ita pertimeſcenda ſunt, neque virtute fortaſſe longè inferiora ſunt. A Plantaginis decocto ſe febres contumaces viciſſe memorat SENAC. Solent verò Quercûs diverſæ partes plus valere, maximèque celebratæ ſunt. Cortex quercûs in pulverem redactus, atque per intermiſſiones doſibus ſemidrachmæ ſecundâ vel tertiâ quâque horâ diſpenſatus, acceſſionum frequenter regreſſui occurrit *. Ita quoque Glandium Quernarum pulvis. Gallæ verò validiſſimæ ſunt, atque circiter hujus ſæculi principium, propter efficaciam contra hos morbos exiſtimationem adeptæ ſunt; atque Academiæ Scientiarum Pariſienſi, de iis periculum facere, propoſitum eſt; quæ ergo, D. POUPART, qui ea periclitaretur, nominavit. Enarrationem ejus, Actis anni 1702 videre licet. Exponit, ſe, etſi in plurimis exemplis felici exitu, ſæpe etiam fruſtrà adhibuiſſe. Idem quoque Biſtortæ, atque hujus claſſis omnibus remediis evenire repertum eſt. In quibuſdam regionibus, veluti in Daniâ atque Germaniâ, Geum Urbanum honore

* CULLEN's Materia Medica, vol. 2. p. 45.—MURRAII Apparatus Medicaminum, tom. 1. p. 63.—SCOPOLI, Fl. Carniol. p. 414.

honore magno, ſed, ut quidam putant, immeritò, cumulatum fuit. SYDENHAM * dixit, "ſibi certe, vel eorum fortiſſima adhibenti in "experimentum, nondum e voto ceſſiſſe." In claſſe igitur nunc conſideranda, nimirum, ex iis quæ facultatibus et amaris et aſtringentibus pollent, remedia valentiſſima quærere licebit.

Plantas his viribus eximiè præditas plurimas non habemus; optimæ ſunt *Cinchonæ* ſpecies diverſæ, *Swietenia* atque *Salix*. Inferiores aliquæ ſunt, nempe Cortex Fraxini, et Folia Lauri. Veriſimile verò credo eſſe, conjunctionem materiarum diverſarum his ipſis virtutibus amaritiei et aſtringentiæ pollentium, fortaſſe ferè æquè valere repertum iri. Contrarium affirmatum eſſe haud neſcius ſum; talem opinionem verò ab experimentis confirmatam non poſſum quin dubitem, atque tentamina numeroſiſſima quæ unquam accepi, ipſe teſtatus ſum, ſententiamque meam approbare plurimùm valent.

Plantarum a natura vi amarâ adſtringenteque præditarum, inter primas procul dubio

* SYDENHAM Opera, p. 300.

bio Cinchona eſt. Hujus ſpecies variæ uſurpatæ ſunt, Cinchona nempe Officinalis, Cinchona Rubra, Cinchona Flava. Harum prima diutiùs adhibita fuit, atque adhuc plurimùm uſurpatur, quanquam virtute C. Flavæ ſecunda eſſe videtur. Caſu principiò detecta eſt circiter annum 1640, non verò ante plurimos abhinc annos, in quotidianum uſum accepta eſt, propter prejudicia mira et vehementia a medicis eò tempore de illa incepta. Hæc verò nunc feliciter abdicantur. Solebant ante hujus remedii inductionem intermittentes medicorum peritiam ferè omnino eludere ; cui horum morborum diuturnitatem atque eventus plurimos malos qui eò tempore ingreſſus ſuos adeo frequenter ſequebantur, attribuere licet. Etſi enim alia remedia, præter id, contra hos morbos, ut in hac regione ſaltem occurrunt, ſatis efficacia non pauca eſſe credo, non fuit tamen, donec de virtutibus corticis Peruviani certiores facti eramus, quòd, hæc probè tentari cœperunt. Metus de uſu hujus eximii medicaminis quondam acceptos, plerùmque omnino nullis niti rationibus, atque eventus malos tunc eo naſci creditos,

ditos, quales ſunt viſcerum obſtructiones, &c. a morbi diuturnitate, vel a remediorum idoneorum neglectu oriri, jam ſatis patet. Præcipua ac fere ſola res, quæ, ne ad eam ſtatim recurramus, prohibeat, diatheſis inflammatoria eſt, ubi cinchona ſolitos non præſtat effectus, atque etiam nocere ſolet. Hæc itaque, ubi adſit, ante omnia amovenda eſt, atque itidem alvus aſtricta ſolvenda, nauſeaque ſedanda. His factis, nulla alia agnoſco, quæ, ne ſtatim ad remedium percurramus, quòd ab hujus morbi impetibus certè defendere videtur, prohibeant. Solent in calidis regionibus hi morbi adeò frequenter valere, atque adeò vehementes eſſe, ut ægrorum vires poſt acceſſiones pauciſſimas omnino deficiant. A cortice quàm maturè adhibito, plures vitæ quàm ab ullo remedio ex Materia Medica ſervantur.

De facultatibus ſenſilibus et chemicis cujuſque ſpeciei cinchonæ, a diverſorum periculis jam certiores facti ſumus, ac ſingulæ dotibus iiſdem generalibus frui, graduque tantùm differre videntur. Ex vi amara tantùm et aſtringente, cum aliquo aromatis forſan,

ſan, conſtant; de proxima verò dote multò diſputatum fuit, ac certè ſi tale quid habent, parciſſimum tantùm eſt. Illæ verò vires præcipuæ et activæ eſſe, atque hæc illas ventriculo minùs alienas reddendo, quod alia aromatica addita item efficiunt, maximè prodeſſe videtur.

Cinchona Officinalis donec intra paucos annos, ſola erat, cujus nobis notitia fuit, et quamvis dotibus Flavæ atque Rubræ inferior eſt, ſatis tamen efficacem ſeſe oſtendit.

Cinchona Rubra, in hanc regionem, circiter annos abhinc quatuordecim inducta eſt, atque ut ejus dotes antea uſurpati corticis exſuperaverunt, certius efficacem fore, atque in doſibus minoribus medici ſperabant. Aliqua ex parte tales expectationes comprobavit experimentum, indagatione enim chemicâ, partium efficientium, quantitate pari, plures quàm Cinchona Officinalis præbere, atque ab ea intermittentes portionibus minoribus evinci repertum eſt. Hæc tamen commoda, ab eo quòd perquàm nauſeoſa erat, ſatis ſuperque æquata ſunt, ſolet enim modus hujus, quàm

major

major Corticis Communis ventriculum vehementiùs afficere, vertiginis quoque ſæpiſſimè cauſa eſſe. Hoc ſolum, ne C. Rubra remedio antiquo unquam ſubſtituta fuerit, verifimile præveniſſet, copiâ verò, quæ in regnum primitùs importata fuerat, venditâ, alteram ſuppeditationem poſtea, virtute priorem exæquantem, nunquam obtinere potuerunt; eaque nunc in officinis ſub hoc nomine vendita, longè inferior exiſtit. Patet ab experimentis pluribus a Doctore SAUNDERS de induſtria inſtitutis, hanc Cinchonâ Officinali in Aqua, et Spiritu Vinoſo magis diſſolubilem eſſe;—— partium reſinoſarum ac efficientium plures habere;——eas partes efficientes, plurimùm dilutas, dotes ſuas ſenſiles, quàm cinchonæ communis ſolutio maximè ſaturata fortiores retinere;——partium conſtituentium ſeparationem eandem inter coquendum non pati, ac multò diutiùs illæſam ſervari poſſe. Mihi obtulit occaſio pericula SAUNDERS repetendi, in aliquid cinchonæ rubræ quæ invectione primâ empta fuerat, atque eam cortici uſitatiſſimo ſuperiorem ſicut ille deſcripſit, inveni.

Ex

Ex illo tempore, intra paucos annos, ſpecies tertia, *Cinchona* ſcilicet *Flava*, in medium prolata fuit; quæ ab experimentis de eo captis, commoda illius modò dictæ ſine incommodis poſſidere videtur. Guſtui ingratiorem ſe fortaſſe quàm C. Officinalis habet, quod non poteſt quin ita ſit, cùm multò plure amaritiei, atque vi aſtrictoriâ gaudeat; nauſeam verò ſicut Rubra nequaquam afferat, atque minoribus doſibus pares præſtet effectus. Efficaciam hujus nuper expoſuit Doctor Relph, experimentaque multa comparativa, in illam aliaſque Cinchonæ ſpecies, a Doctore Babington inſtituta, de dotibus utriuſque chemicis nos certiores facere, tradidit. Ex quibus liquet, omnia præparata ex illa ſaporem amariorem magiſque aſtringentem habere, atque colorem nigriorem commiſta cum Sulphate Ferri in aqua ſoluto efficere;—mucorem acoremque in decocto Communis, poſt tres ſeptimanas, Rubræ poſt ſex obſervandum, Flavæ poſt duas menſes nondum eveniſſe. Adeò fixa eſt amarities hujus, ut libræ quinque in congiis aquæ centum, ad dies undecim, infuſæ, æquè ac Cortex Officinalis adhuc ama-

ræ eſſent, et demum, aquâ vaporibus abactâ, extracti craſſitudinis ad pilulas fingendas aptæ unciæ quindecim relictæ. Tincturarum ſpecierum trium pondera ſpecifica ratione ſequente ſeſe habent. Tincturæ Cinchonæ Flavæ 918, Tincturæ Cinchonæ Officinalis 912, Tincturæ Cinchonæ Rubræ 911. Hæ, vaporatione in balneo aquæ, extractum ſolidum pari ratione præbuerunt; nempe, prima, 311; ſecunda, 210; tertiaque, 201 grana ſolummodo reddidit. In experimentis Doctoris SKEETE Tinctura Cinchonæ Rubræ pluſquam communis ponderavit; unde patet, corticem hodie uſurpatum priùs invectum nequaquam æquare. In exigua quantitate C. Flavæ complura ex his experimentis ipſe repetii, quæ Doctoris BABINGTON experimentis ſatis convenerunt ad factum generale ſtabiliendum.

Profeſſor cel. RUTHERFORD latiſſimè eam adhibuit, atque utriſque prioribus pluris æſtimat. A Doctore WOODVILLE *, in Noſocomio Varioloſis dedito, etiam uſurpata eſt, atque

* WOODVILLE's Medical Botany, Supplement, p. 64.

que commodo majore quàm unquam ab optimo Officinali comperit.

Cortex Anguſturæ paucis annis ante hanc inductus eſt, quamvis autem remedium nullo modo efficaciæ expers eſt, ad ſanationem intermittentibus laborantium cæteris longè inferior eſt. Amaritie ſatis pollet, vi autem aſtrictoriâ deficere videtur, ex quo fortaſſè fit, ut tam ſæpe contra hos morbos ſine fructu diſpenſatus ſit. Hoc a præceptione Chirurgi ſolertis infero, qui grana pauca Sulphatis Zinci ſingulis doſibus addita, illam ac cætera æquè certam reddere invenit, quamvis ſine hoc frequenter eum deſtituerat. Similem animadverſionem apud Doctorem CLARKE, in libello de Febre Flava Dominicenſi invenio; nempe, Corticem Anguſturæ efficaciorem evadere, addito ei Pulvere Corticis Pruni Sylveſtris, qui vi admodum aſtrictoriâ pollet.

Horum medicamentorum omnia præparata varia ſubinde adhibita ſunt, pulvis verò tenuiſſimus cætera omnia longè exſuperat. Infeliciter autem, pulveris quantitas ad harum febrium amotionem, propter ventriculi debilitatem,

tatem, et nauſeam tam ſæpe eas comitantem ægrè toleratur. Ergo concipiendæ ſunt copulationes variæ quæ talibus effectibus obſtare valent. Tales adjectiones plurimæ commendatæ ſunt, atque ut ab hac ipſa re maxima impedimenta hujus morbi curationi oriri ſolent, eas recenſebo. Commodum ferè eſt aliquid Aromatici, ut Pulvis Aromaticus Pharmacopæiarum, Canella Alba, Zingiber, atque Cinnamomum. Si adſit vomitus, corticis adminiſtrationem differre competit, donec eum ab Hauſtibus Salinis Efferveſcentibus compeſcere valuerimus. Hauſtûs Salini communis etiam, in paucos dies, uſus, cum ſequenti adjunctione, ventriculum, ubi corticem antea rejecerat, componere repertus eſt; nempe, cum Pulveris Florum Chamæmeli granis quindecim, et Myrrhæ tantumdem, ſextis horis aſſumptis *. Acidum, ſcilicet Sulphuricum, eoſdem interdum præſtat effectus. Ita quoque Camphoræ grana pauca, vel ex Miſtura Camphoræ Cinchonam ſumere, prodeſt. Opium etiam, hiſce temporibus, Cortici cum ſummo

* Medical Tranſactions, vol. 3. p. 159.

ſummo fructu adjicere licet. Sapor a plurimis quæ pro vehiculis utimur corrigi poteſt; veluti ab Infuſo Glycirrhizæ, Lacte, Vino Luſitanico, Cereviſia tenui, ab iſta quoque *Porter* dicta, Butyri quoque ſero. Si ſub forma Electuarii dare volumus, Succo Ribis ſpiſſato uti liceat; Mucilagines hoc conſilio ſyrupis anteferendæ ſunt, efficiunt enim ut promptè deglutiatur medicamentum, neque faucibus hæreat. Ventriculi verò delicatiſſimi ad uſum corticis gradatim perduci poſſunt a præparato ſequenti concinno, a Profeſſore Rutherford propoſito. Cinchonæ pulvis, in infuſo ejuſdem et Cinnamomi, agitandus eſt; deinde poſtquam ſteterit liquor donec pulveris craſſiores partes ſubſederint, ſupernatantem miſturam plerumque facilè feret æger: pulveris quantitate minore paulatim a ſingulis doſibus miſturæ ita ſubductâ, plenam portionem citò ſine moleſtia ſuſtinere inducitur. Arduum maximè tamen eſt infantes exorare ut aſſumant; pro iis, miſcendo flore Lactis cum Sacchari pauxillo, optimè velatur. Extractum quoque in emulſionem cum Saccharo condito et Gummi Arabico, paulatim addenda

Aquæ

Aquæ Cinnamomi, vel Lactis quantùm ſufficiat. Pulveri virtute ſecundum extractum eſt, atque hoc commodi habet, quòd quantitate exiguâ hujus ſolummodo opus eſt ; non tamen æquè ac pulvis efficax a pleriſque habetur. Doctor Relph, quidem, extracto ſpirituoſo Cinchonæ Flavæ ſummam fiduciam ponere licere, atque hujus grana quindecim pulveris drachmæ uni æqualia eſſe, docet. Hujuſmodi autem præparatum ab America Auſtrali nuper importatum fuit, quod extracta a diverſis Cinchonæ ſpeciebus hìc acceptis parata, longè exſuperare fertur : nondum verò, qua ab arbore obtineatur, intelligimus. Tincturæ, Infuſa et Decocta præparatis fortioribus optima vehicula præſtant, ipſa verò non ſunt, quibus curatione confidere liceat. Si cinchonam ſtomachus reſpuat, lotionibus adhibita ſatis efficax reperitur, quem in finem formula ſequens haud inepta eſt :

℞. Extract. Cinchon. ℥ſs. Aq. Bullient. ℥iij.
Ol. Oliv. ℥i. Tinct. Opii gut. x. M.

Injiciatur quartâ quâque horâ, vel ſæpius prout res poſtulat. Laxantia immiſſa cinchonam

chonam injectam antecedere debent. Pro infantibus extracti ʒi. ſufficiat. His quoque morbus ſanatus fuit, ſubuculas, quibus Pulvis Cinchonæ inſutus fuerat, inveſtiendo *. Hoc tamen cæteris remediis Cinchona longè præſtat, quòd etſi principio a ſtomacho reſpuitur, perſeverando facilè plerumque ægri tolerant.

Quod ad tempus attinet, quo optimè aſſumatur, quondam inter medicos controverſia multa fuit. A pleriſque verò jam conceſſum eſſe credo, ut primùm deceſſerit paroxyſmus, cinchonam adhibendam eſſe, atque eam uſque ad acceſſionem proximam liberaliter dandam; tunc verò, ſi comitatur nauſea, donec præterierit illa, intermittendam. Iterum atque iterum hâc regione repertum eſt, inter initia morbi Pulveris Cinchonæ unciam dimidiam ad quotidianam ſiſtendam valere, unciam unam vel duas ad tertianam, ad quartànamque uncias tres. Morbi pertinaciâ tamen, a rebus variis pendente, talem rationem non in univerſum valere ſatis liquet. Tempeſtatibus quibuſdam

* *Vide* London Med. Obſerv. & Inquiries, vol. 2. p. 245.

quibuſdam prævalent intermittentes, quæ cinchonæ quantitatem multò majorem exigunt. Talis fuit ea a GEORGIO BAKER, Equite, narrata *, ubi ſecundis horis drachma diu fuit adhibita, neque acceſſiones avertit: ægrorum verò conſtitutio a morbo minùs lædi, per talem remedii uſum liberalem, videbatur, etſi malum non prorſùs depulit. A Doctore JACKSON drachmæ duæ ſecundâ quâque horâ datæ ſunt, atque ipſe unciam ſæpe ſimul aſſumpſit. Frequenter ejectam eſſe dicit, atque, in nonnullis exemplis, per inteſtina ferè extemplò deſcendit, febrem tamen nihilominus ab ea cohibitam, viſam eſſe. Cinchonæ Officinalis ℈ij. vel ʒi. ſecundis vel tertiis horis repetitæ, Flavæque ʒſs. vel ℈ij, plerumque ſatis ad doſin erunt. Uncia dimidia, vel uncia una, circiter horam ante horrorem paroxyſmi expectati ſumpta, ingreſſui ejus frequenter occurret. De hac re verò, animadverſio DE HAEN aptiſſima eſt, nimirum quòd, "neque "pondus hìc quidquam aut menſura deter- "minat, ſed morbi levamen." Si in uſu corticis

* Medical Tranſactions, vol. 3. p. 147.

ticis Peruviani principiò tergiverſemur, effectus ejus ferè nihili fiunt, ac quantitatem ingentem, ubi multò minor tempeſtivè adhibita æquè profuiſſet, poſtea dare cogimur *.

Swietenia Soymida, ſecundum obſervationes Domini ROXBURGH, et Doctoris DUNCAN junioris †, remedium validiſſimum, atque ut in hanc regionem magis univerſè inducatur dignum eſſe videtur.

Cætera quæ vi et amara et aſtringente, naturâ, gaudent, omnia imbecillia ſunt, ac parva efficacia pollent, niſi forſan *Salices* excipere liceat. Vegetabilium noſtrorum indigenarum Salix ſola evadit, quæ his facultatibus multùm pollet, hæc ergo ſuccedaneum valens offerre viſa eſt, neque illorum aliud ſcio, quod frequentiùs auxilium præbuit; etſi miſturas tales arte confici poſſe credo, quæ conſtantiùs et certiùs eoſdem effectus edant. Adminiſtrationis Salicis Albæ multa exempla a Do-

F mino

* FORDYCE on Tertian Intermittent. p. 133.

† *Vide* DUNCAN Tentamen Inaugurale de Swietenia Soymida, Edin. 1794.

mino STONE in Actis Londinenſibus anno 1763 narrantur, qui in pleriſque fauſto cum eventu exhibuit eam. In morbis pertinacioribus verò hanc, a cinchona addita, efficaciorem factam invenit. BERGIUSque perhibet, ſolam ipſum ſemper fefelliſſe. Remedium ergo non ad votum eſt. Amarum bene valens eſſe, aſtrictoriâ autem vi cinchonæ ſecunda eſſe videtur. Pulvis *Foliorum Lauri* ſubinde intermittentes, quæ plurimis aliis remediis reſtiterant, vicit, morbus tamen poſtea ad revertendum admodùm pronus fuit.

Sæpe inter mĕdicos controverſia fuit, cinchona num veluti miſtura amara et aſtringens ſolummodo, quas facultates ſolas noſtris ſenſibus exhibet, an vi quâdam aliâ ſpeciali ſui generis, in his morbis medendis, agat; opinio tamen poſterior plurimùm valuiſſe videtur. Licèt alia remedia his facultatibus prædita intermittentes frequenter ſanaviſſe negare non potuerint, aſſeruerunt tamen hujus opinionis fautores, ea, quibus hæ dotes magis valebant, non, æquè ac cinchonam, contra hos morbos efficacia eſſe. Pauca tamen vel nulla medicamenta a natura amaritie atque vi aſtrictoria

æque

æque donantur, et miſturæ tales arte confectæ adhuc parùm tentatæ ſunt. Experimenta quæ de hac re hactenus ſuſcepta fuerunt, animum ad ſententiam contrariam, nempe, remedia quædam alia, non multò minus utilia eſſe, fortiter inducunt. A CULLENO* accepimus, Gentianam pari portioni Gallarum vel Tormentillæ adjectam, in idonea quantitate, contra omnes intermittentes quibus ipſe adhibuit, optimè reſpondiſſe. Doctor PERCIVAL† miſturam Corticis Quercûs etiam cum Gentiana, hos morbos, poſtquàm et aſtringentia et amara ſola fruſtrà adhibita erant, ſanare invenit. Hæc quoque miſtura a CULLENO cum ſucceſſu uſurpata eſt. Ab his ac pluribus hujuſmodi tentaminibus quæ in Valetudinario Publico de HORNCASTLE, in Agro Lincolnienſi, a Doctore HARRISON, medico, hujus comitatûs inter primos, inſtitutis, adducor ut credam, de intermittentibus hujus regionis ſaltem, hæc eſſe, quibus æquè confidere liceat. Medicamina ab eo uſurpata Biſtorta fuerunt et Calamus

* CULLEN's Materia Medica, vol. 2.

† PERCIVAL's Eſſays, vol. 1. p. 24.

Calamus Aromaticus: illa e valentiſſimis plantis aſtringentibus noſtræ inſulæ una eſt; hic, amarum et gratum aromaticum eſt. Dum ibi loci commorabar, uſus eorum in exemplis ferè centum intermittentium purarum me teſtatum eſſe credo, quarum unaquæque citò remedio ceſſit. Poſt illud tempus, Doctor HARRISON, contra eundem ferè febrium numerum adhibuit, neque plures fuerunt quàm tres vel quatuor quæ remedio reſtiterunt. Efficacia hujus miſturæ ab eo adeo bene confirmata creditur, ut omnino ab uſu cinchonæ in valetudinario deſtiterit. Exempla hæc fuerunt intermittentium cum ſpecie tum diuturnitate diverſarum, ceſſerunt etiam, ſicut a ſimili adminiſtratione cinchonæ expectandum erat. Hujus vicarii ad uſum primò inductus eſt a nimia impenſa propter cinchonam illo valetudinario facta: plurimis quidem ejus loci morbis præter intermittentes genuinas, ſymptomatibus abnormibus miſtis, quibus hæc pariter remedia ſunt. Poſt duorum triumve aliorum medicaminum probationem, miſturam ſupradictam elegit, quam cauſa nulla fuit ut mutaret. Plantæ utræque, ut iſtorum locorum

rum qui tales morbos gignunt indigenæ ſunt, apprimè fiunt idoneæ. Calamus Aromaticus profectò hâc regione minimè abundat, atque ab oris Maris Mediterranei orientalibus plerumque importatur; locis tamen quibuſdam paludoſis apud nos naſcitur, peregrinæ nihil prorſùs ſecundus *, ac pluribus facilè haud dubio coli poteſt.

De fama Cinchonæ, cujus merita negationem non admittentia habeo, nullo pacto detrahere vellem: non poſſum tamen quin opiner, rem magni momenti eſſe ſtabilitam, remedia alia nobis eſſe, quibus, in his morbis medendis, hâc regione ſaltem, niti liceat. Non temerè quidem timuerunt aliqui copiam Corticis Peruviani, progreſſu temporis, fore exhauſtam; plantas enim jam numero multùm redactas eſſe fertur †. E narratione Dom. de la Condamine, qui iſta loca Peruviæ, unde hic affertur, viſit, ingens numerus arborum mortuus eſt, propterea quod cortice omnino ſpoliatæ

* Withering's Botanical Arrangements, vol. 2. p. 344.

† Audi Prælectiones Botanicas cl. Profeſſoris Rutherford.

ſpoliatæ ſunt. Hoc arbores ſeniores certiſſimè necat, ac ſæpe, etſi minùs frequenter, junioribus quoque exitioſum eſt. Credidit etiam Jussieu, impoſſibile fore mercatum diu ſuppeditari, et niſi quinquina conſtanter coleretur, vel ſylvæ integræ invenirentur, Europam hujus remedii pretioſi difficultatem citò eſſe ploraturam. Jampridem tamen multum tempus eſt, ex quo hi auctores illos metus teſtarentur, et ex inductione nonnullarum novarum ſpecierum, ſatis bene ſuppeditatum eſt. A fonte verò ſecundo et precario, neque a cultura derivari apparet; nihil enim Corticis a Loxa, loco a Condamine atque Jussieu viſo, unde eo tempore ferè totus provenit, jam importatur. Ergo non ſine cauſa eſt, ſi adhuc, talem futuram privationem metuamus. Corticem quem adipiſcimur a mercatoribus multùm commiſceri, ac longè olim invecto inferiorem plurimi queruntur. Hoc verum eſſe, quare timeamus gravis eſt cauſa, etiamſi non tantùm in noſtra regione, quantùm apud calidiores ſentiatur. Doctor Jackson, a quantitate quam ille adhibere coactus eſt, ita eſſe

ſe

ſe perſuaſum habet. Affirmat HEBERDEN * ex libris centum Corticis Peruviani officinarum, ne viginti quidem eſſe quas ſolers medicus uſurpare vellet. Nunc temporis, ſcribit Doctor RELPH †, a denariis octodecim ad ſolidos decem libræ pretium variare. De hoc cortice multum certè eſt, quo niti non liceat; atque eſt quare vereamur, ne mercator viliſſimo pretio plerumque emeret. His rebus autem nihili penſis, magni momenti nihilominus ad nationem foret, vicarium indigenum æquè valentem comperire, ut, pecuniam multam quotannis huic medicamento expenſam, regno retineremus. RELPH narrat, ab anno 1789 ad 1793, pondere libras 634, 783 Cinchonæ in hanc regionem importatas eſſe, quantitatem tamen non parvam iterum exportatam. Hoc ſatis liquet, dum naves noſtræ fructibus oneratæ ex ultimis oris redeunt, plantas quibus noſtra tellus naturâ donatur, vel quas culturâ facile

* Medical Tranſactions, vol. 3. p. 154.—*Vide* quoque BURSERII Inſtitutiones Medicinæ Practicæ, Tom. 1. p. 198.

† RELPH on the Yellow Bark, p. 72.

facilè ſuppeditaret, omnino negligimus. Intra proximum annum cultura medicaminis Materiæ Medicæ inter pretioſiſſima, opii ſcilicet, ſub auxilio ſocietatis, cujus ingenium liberale, et ſaluțis publicæ verè ſtudioſum, honore gentem noſtram afficit, promota eſt: paucis annis, veriſimillimum eſt, nos non diutius ad Aſiam miſſuros eſſe, ad comparandum remedium, quod noſtram tellurem ſummo ſtatu præbere poſſe conceſſum eſt, etiamſi cultus ejus ſit neglectus. Hæ amarorum et aſtringentium miſturæ arte confectæ, num æquè in febribus regionum calidarum profuturæ ſint, ab experimentis ſolùm dijudicandum eſt. Alicujus ponderis certè eſt, ita apud nos repertum eſſe, ſcire; et probabiliter miſturam, in tentaminibus ſupradictis uſurpatâ valentiorem, componi poſſe.

Biſtorta pari quantitate, vi aſtrictoriâ licet cinchonam longè exſuperet, noſcere tamen cupiebam, an, hujus miſtura cum pari portione Calami Aromatici, magnitudine æquali facultates et phyſicas et chemicas Cinchona valentiores exhiberet; experimentorum ergo communium pauca, deditâ operâ, cepi.

Et

Et cinchonæ et hujus compoſiti decoctum feci, ex pulveris utriuſque uncia dimidia, aquæ libra dimidia, ad monita Pharmacopœiæ Londinenſis. Decocti Cinchonæ reſiduum ſiccum ʒiij, pulveris compoſiti e Biſtorta et Calamo Aromatico ʒij et grana xxxv, pependit. Decoctum tamen gratius, Biſtortam ſolam coquendo, atque liquorem fervidum Calamo Aromatico conciſo affundendo, confici repertum eſt. Paris quantitatis ita paratæ reſidua ſicca erant, Biſtortæ ʒi. gr. xxvi. Calami Aromatici ʒi. gr. xlv. Unde patet, primâ viâ, plus pulveris compoſiti quàm cinchonæ ab aqua ſolutum eſſe, minus ſecundâ; utrumque verò decoctum, guſtum et amariorem et aſtringentiorem cinchonæ decocto præbuit, et colorem nigriorem, additâ Ferri ſolutione, exhibuit. Cinchonæ Flavæ tamen decoctum facultates ſenſiles valentiores iis habere putavi. Tincturæ hujus pulveris compoſiti fæces ſiccæ, pondus ſpecificum Tincturæ, atque Extracti, ad pilulas fingendas apti, modus, vaporatione confecti,—omnia indicare concurrebant, hunc pulverem quàm Cinchonam in Spiritu Vinoſo copioſiùs ſolvi. Ex-

perimenta autem, ut in exiguam pulverum quantitatem ſolùm, inſtituta ſunt, ratio quâ diſtabant non ſatis accuratè æſtimata eſt. Solutio Ferri Vitriolati etiam in infuſo, et frigido, et calido, nigrorem multò majorem effecit, quàm in infuſis ſimilibus cinchonæ. Infuſum pulveris compoſiti frigidum ubertim dilutum, facultates ſenſiles fortiores, alio cinchonæ, ſervavit: Tinctura ejus vix adeo valentes. Magneſia hujus pulveris ſolutionem nequaquam promovit, guſtum verò infuſorum ſic paratorum perquàm ingratum reddidit.

Si talium compoſitionum efficacia tentaminibus latioribus comprobata fuerit, facilè ita adminiſtrari poſſunt, ut inteſtinis ſatiùs quam cinchona conveniant: portionem adhibendo aſtringentis majorem, Diarrhœam cohibere, atque augendo amarum alvi duritiæ obſtare licet. Cenſet porrò Profeſſor RUTHERFORD *, facultatem cinchonæ purgantem meliùs ab aſtringentibus additis, veluti Gummi Kino, corrigi, quàm ab Opio, quod quando ventriculum

* Prælect. Clinicis, ann. 1796.

culum quidem debilitare tendit, minùs uſui cinchonæ convenit.

Eximium aliud remedium adhuc conſiderandum eſt, nimirum

ARSENICUM.

Hoc, etiamſi diu in manibus empiricorum fuerit, ac remedii diu laudati, viz. *the taſteleſs Ague Drop*, baſin conſtituere exiſtimetur, non tamen a medicis, ante paucos abhinc annos, aſcitum eſt. Quo tempore a Doctore Fowler, Eboraci, qui plurimùm uſurpavit, obſervantiæ publicæ commendatum fuit, atque exitus tentaminum ejus, circumſpectionemque in adminiſtratione neceſſariam deſignavit. Ejus præparatum ex Arſenici granis lxiv, cum Kali Puro tantumdem, quod ſolutionem adjuvet, ſimul, in Aquæ Diſtillatæ libra dimidia, donec peracta ſit ſolutio, coquendis, conſtat. Liquori frigefacto per chartam colato, Spiritûs Lavendulæ Compoſiti ʒi. et Aquæ Diſtillatæ libra dimidia alia adjiciendæ ſunt. Autumat Doctor Darwin, Arſenici

ſaturatam

ſaturatam ſolutionem puram in Aqua Diſtillata, præparato Doctoris Fowler anteferendam eſſe; propterea quòd nihil erroris inde a materias diverſas ponderando oriri, ac conſtantiùs ſolutionem æquè fortem conficere licet. Præcipit, ut multò plus Arſenici in Aquæ Diſtillatæ ratâ portione indatur quàm quod ſolvi poteſt, dein ut concoquantur in ampulla Florentina vel vaſe ſtanneo per ſemihoram, poſtremò liquor ſeponatur ut fæces ſubſidant, ac per chartam coletur *. Chirurgus amicus ejus intermittentes innumerabiles tali ſolutione ſaturatâ ſanavit. Guttas decem a phiala unciarum duarum ſtillatas, doſin plenam adultis invenit, plerumque verò a guttis quinque tantùm occepit.

Hujus remedii efficaciam jam ultra controverſiam eſſe conſtitutam habeo, quantitate autem minutiſſimâ effectus adeo violentos edere ſolet, ut adminiſtratio ejus magnam prudentiam exigat. Externè quoque adhibitum res admodum periculoſas effecit, atque ab auctoritate obſervanda, etiam exitium attuliſſe Profeſſor

* Darwin's Zoonomia, vol. 2. p. 726.

feſſor Gregory profert. In prælectionibus Dominus Russel de effectibus gravibus ab eo externè admoto mentionem quoque facit, affirmatque reſpirationem præſertim ab eo affici ſolere, ita ut Tuſſim et Dyſpnæam interdum moviſſe videatur. Aliquando tamen tumorem faciei, ventriculi capitiſque dolorem, tremores leves, atque per totum corpus eruptionem genuit. Hydrargyro, Digitali, aliiſque quibuſdam medicamentis ſimile, accumulari quaſi in corpore, atque ſymptomata violenta ſubitò ac improviſò procreare ſolet. Quâpropter non ultra octo dies ſine remiſſione adhibendum eſt. Anorexiam cum nauſea aliqua ferè ſemper efficit, quæ, ſi ad vomitum increſcat, Tincturæ Opii guttis quinque vel decem levanda eſt. Si, arſenico intermiſſo, anorexia etiamnum maneat, evacuantia lenia, præcipuè emetica, auxilio præſentiſſimo eſſe ſolent. Remedia alia contra intermittentes, an a vi ulla tonica qua polleant tanta beneficia præſtent, an non, hoc certè nulla tali vi pollet; contrariò verò medicamentum admodum infirmans apparet, ac poſtquam arſenico acceſſionibus finem impoſuimus, cinchona ferè

ad vires reficiendas opus eſt. Commodiſſimum eſſe puto, Arſenicum ex Cinchonæ Miſtura adhibere, quo efficacia ejus adverſus intermittentes aucta ſit, ac vires vitæ ſimul ſuſtineantur. Hoc tamen remedium etiamſi in his morbis diſcutiendis ulli alii ſecundum nequaquam ſe habeat, propter malos eventus verò, quibus ſubinde ſtipatur, tutiora, ubi ſunt in promptu, neque aliquæ res magnopere prohibent, anteferenda profectò ſunt. Confitendum verùm eſt, res interdum accidere, quibus illa minùs commoda redduntur, nos ergo fortunatos eſſe exiſtimare oportet, alterum adeò valens etiamnum eſſe, ad quod confugiamus.

STIMULANTIA.

Ad hæc ægri ipſi decurrere frequentius quàm medici ea præſcribere, ſolent; ac plurima ſunt exempla mali inde effecti. Hoffman * unum narrat, quo, juveni intermittens quâ

* Hoffmanni Opera, Tom. 2. p. 21. Edit. Genev. 1761.

quâ laborabat, in continuam febrem cum delirio, calore ingente ac ſenſu quaſi carbonis igniti in ſcrobiculo cordis, converſa eſt, aſſumendo piperis grana quindecim in aliquot cochlearibus ſpiritûs vini, et inſuper bibendo cereviſiam calefactam, ut ſudaret. Profeſſor GREGORY quoque alterum memorat, ubi Epiſtaxis vehemens portione larga piperis, ex ſpiritu vini Gallici, ad intermittentem curandam, inducta fuit. Ab illa ita debilitatus eſt æger ut rediverit intermittens, quâ rurſus ſimili ratione diſcuſſâ, denuo producta fuit epiſtaxis.

Circumſpectiùs autem adhibita, diverſa hujus generis remedia has febres ſine ullo malo eventu ſanaverunt. Piper Indicum ſæpe intermittentes diu productas pepuliſſe teſtatus eſt BERGIUS *.

Serpentaria, quæ, etſi Diaphoreticum quoque, præcipuè a vi ſtimulante hìc prodeſſe videtur, in Carolina Septentrionali, contra hos morbos multùm uſurpata eſt. Sæpe periclitatus etiam Doctor JACKSON, at ſine effectu; confitetur

* CULLEN's Materia Medica.

confitetur tamen, ut item plures alii medici, cinchonæ illam ſummo cum fructu conjungere licere. Commodo neque minore Ammoniam adhibuit Doctor Bisset. Inter ſtimulantia fortè recenſendæ ſunt animi perturbationes, quibus vehementer incitatis, in exemplis innumerabilibus intermittentes ſubmotæ ſunt. Unum ex antiquiſſimis, et inſignioribus, ab Hiſtoria Romana, accepimus, nimirum, exemplum Quinti Fabii Maximi, qui, Quartàna, quæ diu afflixit eum, liberatus eſt, prœlium cum Hannibale ineundo die ubi febris reverſura erat. Huc ſolùm referre licet tot curationes credulis et ſuperſtitioſis Incantamentis et Amuletis effectas. Animi verò perturbationes vehementes periculo minimè carent, atque, cùm earum effectibus moderari nullo modo valeamus, medici ad modum adeo intutum et precarium nunquam recurrere debent: quondam remediorum efficacium ab inopia, hæc plus excuſationis habuit.

Unum ſtimulans externum, quod, poſtquam Cinchona, Arſenicum, remediaque ſolita fruſtra adhibita ſunt, hos morbos diſcuſſit, notatu dignius videtur; Electricitatem intelligo. Rationibus

tionibus diverſis admota eſt, quidam, paulò ante horroris ingreſſum, Succuſſus repetitos, ad ſudorem evocandum, qui, ferè donec ſolitum acceſſionis tempus præteriit, promovendus eſt, adhibent. Quantùm profuerit talis ratio, teſtantur BURSERIUS *, et FOWLER †. WESLEY ‡, qui medico hujus uſu multùm occupatus eſt, ſe vix unquam Tertianæ obveniſſe, quin huic remedio cederet, affirmat. Adminiſtratio talis, per paucos dies, plerumque reſpondet, aliquando, ſecundum CAVALLO, ſemel bisve hoc remedium repetitum ſufficit. Auctor proximus verò Scintillas per pannum laneum, ad horæ ſextam vel quartam partem elicere ſolebat, vel per paroxyſmum, vel paulò ante ejus acceſſionem. Hæc ratio cùm minus ingrata ſit, primò tentare licet, priorem tamen efficaciorem inventum iri credo.

* BURSERII Inſtitutiones Medicinæ Practicæ, Tom. 1. p. 259, 260.

† Memoirs of the London Medical Society, vol. 3.

‡ HALLIDAY Diſſ. Inaug. de Electr. Medica.

SUDORIFICA.

Hæcce remedia etſi haudquaquam in uſu generali ſunt, a quibuſdam tamen multò laudantur. Fordyce, præ eorum vi, ea cinchonæ ordine proximo collocat. Pari ratione quâ nunc a Doctore Fordyce commendantur, olim uſurpavit Sydenham. In lecto contineri ægrum juſſit, alvum purgavit, deinde ſudorem ope Theriacæ Andromachi et diluentium, circiter horas quatuor ante acceſſionis ingreſſum, movit. Si adſint inflammationis ſigna, vel minus perfectæ fuerint intermiſſiones, intutam talem curationem agnoſcit. Fordyce pariter, catharticum ſtimulans, quale eſt Scammonii et Colocynthidis miſtura, ad horas duodecim ante paroxyſmum dari præcipit; ac circiter ſeſquihoram ante acceſſionem quoddam ſudorificum ſtimulans, velut Opium cum Antimonio Tartariſato. Purgatio utilis eſt, quòd, finita, magnam ad ſudandum proclivitatem linquit. Hæc febris regreſſui frequenter occurrent; ſin minùs, ægrum

grum multùm debilitent neceſſe eſt, atque ergo minùs idonea eſſe habeo.

Ad hoc caput, an remedium quondam multò ac cum fructu uſurpatum referam, in dubio ſum. Salem Ammoniacum intelligo, qui interdum, at non perpetuò, ſudorem elicere ſolebat, neque ſucceſſus ejus de hoc effectu pendere notatum fuit. Tentamina plurima hujus remedii, in Diſſertatione Doctoris Muys * narrata, invenio. Drachmam unam vel duas in Aqua vel Cereviſia liquatam, dimidio horæ ante acceſſionem, bibendam dedit. Ex 27 febribus Sale Ammoniaco curatis, fuerunt 15 quibus alter a ſale ſumpto paroxyſmus non recurrerit, et vix 9 quibus tertius a ſale ſumpto paroxyſmus redierit. In exemplis 6 tamen, ſymptomata inde aggravata ſunt. Ratione diverſâ ab aliis quidem adhibitus eſt, ac ſæpe, poſtquam fruſtrà fuit cinchona, reſpondiſſe fertur. Ad ſcrupulum, quartâ quâque horâ, in paucos dies ex infuſo Chamæmeli datus eſt, deinde ſextâ vel octavâ quâque horâ †. Nuper inſuper Dom. Macleish

* Vide Schlegel Theſaurum Materiæ Medicæ.

† Motherby's Medical Dictionary.

Macleish multo commodo hunc ſalem præſcripſiſſe accepimus ‡. Remediis verò aliis, quæ certiora ferè habentur, plerumque nunc ceſſit.

EX HYDRARGYRO PREPARATA

hos morbos graves etiam profligaviſſe certiores facti ſumus. Hoffmannus † exemplum edidit, ubi medicamenta varia anteà morbus eluſerat; animadvertit quoque, Quartanas ſæpe per ſalivationem ſanatas eſſe, quæ per eas levi etiam mercurialium doſi oriri ſolet. Willis ‡ aliud memoravit, ubi a quo tempore ſalivatio incepit, a paroxyſmis ſtatim ægrota erat immunis. Exemplum recentius a Doctore Heberden || relatum habemus. Sin a ſeipſis ſanationi imparia ſunt, cinchonam

* Annals of Medicine, vol. 2.

† Hoffmanni Opera, tom. 2. p. 29.

‡ Willis de Febribus, cap. 6.

|| Medical Tranſactions, vol. 3.

nam poſtea adhibitam potentiorem efficere fertur *. Etiamſi ad talia remedia ſtatim inter initia decurrere non liceat, momenti alicujus certè eſt ſcire hæc non rarò curationem præbuiſſe.

Pluris æſtimanda tamen ſunt contra certos affectus a diuturnitate harum febrium inductos; nimirum Viſcera Obſtructa. Hi duorum generum eſſe ſolent †, longum unum, *Ague Cake* auctorum, alterum acutum et plus inflammationis habens. Prius a dolore obtuſo in partibus affectis noſcitur, qui parùm conſtans eſt, ac utique a preſſura atque a ſumpto cibo intenditur. Præcordia dura ſunt, et tument. Solet ſæpe pertinaciſſimum malum eſſe, et diutiſſimè remediis obſiſtere; ubi inveteravit, vultus lividus vel plumbei coloris fit; crura et abdomen aquam intercutem habent, aliquando demum ſuppurant viſcera, atque febrem hecticam inducunt.

Frequenter ex uſu remediorum tonicorum tumores evaneſcunt, hæc ergo, in tali caſu, portionibus

* Medical Tranſactions, vol. 3. p. 149.

† Buchanan Diſſ. Inaug. de Feb. Interm. Medend.

portionibus majoribus danda ſunt; ac ſi auxilio eſſe videntur, aliquamdiu poſtquam ſiſtantur acceſſiones, continuari decet. Si his medicamentis nullo modo cedant, præparata ex Hydrargyro, ut antea dictum eſt, magnopere proſunt. Horum formulæ variæ laudatæ ſunt; aliis Hydrargyrum Gummoſum, id eſt, cum Mucilagine Gummi Arabici contritum, anteferentibus, cujus grana 10, 15, vel 20, nocte manèque aſſumat æger, ſuperbibendo uncias quatuor Decocti Taraxaci, quo Tartari Solubilis drachma una ſoluta eſt *. Alii Calomelas præferunt. †.

Anaſarca, adeo frequenter ab intermittentibus inducta, ſi modò viſcera ſe ſanè habeant, neque graviſſima neque ferè pertinax eſt, plerumque verò a remediis ipſis roborantibus item diſcutitur. Sin aliter, ad nonnulla ex hydropum propriis decurrendum eſt, atque diuretica quàm purgantia ita laborantibus magis idonea ſunt, ſolent enim hæc, ut in febrem, poſt longum tempus, recidant convaleſcentes, efficere.

* London Medical Journal, vol. 2. p. 270.

† Medical Tranſactions, vol. 3.

efficere *. Inter diuretica Kali Acetatum, et Kali Præparatum, Cinchonæ adjectum, ſummo fructu uſurpata ſunt. His affectibus, qui debilitate a priore morbo relictâ ferè pendent, præparata e Ferro cum Cinchona, ita quoque Radix Colombo, plurimum beneficii attulerunt. Doctor Jackson, ante omnia Cantharides laudat, quas tali caſu aliis diureticis valentiores reperit.

Conatus omnes ad hos pertinaces morbos vincendos aliquando omnino non reſpondent, donec a cœli mutatione, æger a cauſis excitantibus ſubmotus ſit, quod ſolum ad ſanitatem eum ſæpe redigit. Quandocunque ergo hoc commodum ſit, utile ſemper foret.

Ne in morbum, poſtquam ſtiterint acceſſiones, ad quem admodum proclives ſunt, denuo incidant ægri, in uſu remediorum tonicorum aliquamdiu perſeverare opus eſt. Deinde ad breve tempus intermittere licet, denuo iterum reſumere, neque die quo accedere ſolebat acceſſio, niſi poſt longum tempus, remedium omittere. Hæc morbi ſolitis diebus ad redeundum

* Burserius.—Wallis's Sydenham.

undum inclinatio, ab antiquis fuit notata, ac de ea ita monet CELSUS: "Si febris quievit, "diu meminiſſe ejus diei convenit, facile e- "nim revertitur, niſi a ſano quoque aliquan- "do timetur." Hæc ipſa res, ab ægris ferè prorſùs neglecta, nimis inculcari nequit.

Febres recidivæ, quia quoque ex uſu intempeſtivo ciborum concoctu difficilium, frequenter eveniunt, ad diætam ſedulò reſpicere oportet. Cibi qui bonum nutrimentum præbent, hìc conveniunt; carnes igitur animalium concedantur, quas coctas, quàm toſtas ſive aſſas, propter empyreuma quod ab igne hæ duæ adipiſcuntur, meliùs convenire docet FORDYCE. Carnes piſcium, quippe quæ difficiliùs digerantur, minùs idoneæ ſunt. Sago cibum optimum admodum nutrientem, concoctu facilemque, præbet. Lac ſecundum auctorem modò citatum, antequam in ventriculum receptum eſt, coagulari minimè debet.

Exercitatio utiliſſima erit; ſi verò æger primò nimis debilem ad ſeipſum exercendum habeat, exercitationis loco, Frictio Strigili et commoda et grata eſt.

Quod

Quod ampliùs ad Prophylaxin attinet, cauſas debilitantes, cujuſcunque generis ſint, evitare; cibo pleno cum vino modicè uti; a roribus nocturnis corpus defendere; neque, ventriculo inani, bene manè domo exire; notatu inter digniſſima ſunt. Ac ſi conveniat, in oppida migrare, quàm rure remanere, tutiùs exiſtimatur; atque lignis largè focos extruere, per anni tempeſtates quibus intermittentes valere ſolent, maximè ſoſpitare fertur.

FINIS.

CORRIGENDUM.

Pag. 5. lin. 22. *pro* ſitem *lege* ſitim